

1595

re ; licet eo Senatus consulto nihil Reipublicæ juribus dero-
gatum fuisset ; quæ sicuti transactis temporibus jus atque au-
toritatem Episcopis impertiverat , ita supremo se nunquam
imperio abdicaverat ; saepiusque novatores turbatoresque re-
pellerat : quæ omnia publicis consignata tabulis inspiciuntur .

Duabus autem discissa factionibus civitate , invicem san-
guine cædeque sœvientibus , dum ab Aloysio Mocenico An-
tistite hoc fere tempore judicium instituitur , a Pontifice al-
terius partis cives impetraverant , ut Apostolicæ Sedis apud
Rempublicam Nuntio eæ omnes controversiæ delegarentur ,
procuratorque pontificius , qui in ambas factiones inquireret ,
Cenetam mitteretur ; qui varia edicta ad urbis regimen , at-
que ad extores præsertim spectantia pronuntiaverat . De his
Senatus certior factus , ne quid in ea civitate Respublica
detrimenti capiat , statuit . Decemviri procuratoris pontificii
acta rescindunt , judicium ad se avocant . Interim Mocenici
Antistitis decreto bona , quæ beneficiario jure communiter pos-
sidentur , vendi , aut quacumque ratione alienari vetat . Eam
ob rem tres Romam a Cenetensibus oratores mittuntur , qui
negotium Aquilejensi Patriarchæ committendum curent . Ii
Venetas adcerfisi , ne in posterum alias Principes , præter
Rempublicam adeant , monentur . Re , ut videbatur , ex sen-
tentia confecta , nova a Clemente mandata Laudensi Episco-
po superveniunt , quibus , si qua in re Cenetenses laesos se
esse existiment , ejus rei , donec aliter statuat , judicium per-
mittit . Cenetensium interim legati Venetas accedunt , affli-
ctas perditasque fortunas suamque vicem dolent , calamitati-
bus auxilium implorant : judices Senatus daret , qui earum
causas cognoscerent , auctoritate ac potentia præsidio essent .
Senatus consultum fit , quo civilium judiciorum ad Novos
Auditores , capitalium ad Advocatores provocandi jus Cene-
tensibus conceditur ; decreti exemplar in acta eorum concilii
referri jubentur . Eam legem Patres Mocenico Antistiti signi-
ficant . Oratores , consilio adcerfito , in publicas tabulas redi-
gi Senatus consultum curant .

His valde commotus ac perturbatus Clemens factum cum
Paulo Paruta , oratore , exaggerat : *Spretam auctoritatem , pro-
culcatam dignitatem , egregiæ sua in Rempublicam voluntati*

mi-